

**Ortus morborum e fermento ventriculi in eorum ultionem ad vitam sanam ...
/ [Caspar Heinrich Schrey].**

Contributors

Schrey, Caspar Heinrich, active 1678-1696.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorffii : Typis Johannis Henrici Schönnerstaedt, [1678]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dwdtu33f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

CHRISTO HOMINUM SERVATORE DUCE
ORTUS
MORBORUM

E
FERMENTO VENTRICULI
IN EORUM ULTIONEM
AD VITAM SANAM

DECRETO ET AUTHORITY GR-
ATIOSÆ ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ

IN
INCLUTA ACADEMIA ALTDORPHINA,
Dissertatione Inaugurali
PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE
IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET SOLEMNITER CONSEQUENDIS

ad diem 25. Junii.

ANNI MDCLXXIIX.

H. L. Q. C.

habendâ demonstratur,

Publicæque ventilationi submittitur

A

CASPARO HENRICO Schrey /
Dresd - Hermunduro.

ALTDORFFI

Typis Johannis Henrici Schönerstædt.

MORBORUM

A. T. DORSETT
 1871



Præloquium.

NEgari istud non potest, quod magnus ille per Ignem Philolophus Helmontius tract. à Sed. Anim. ad morb. §. 32. p. m. 233. asserit: sæpius defectus extremos superari non aliàs, quàm per remedia stomachica, malumq; stomachi parere dissitos procul à se morbos. Scilicet quemadmodum ventriculus rectè concoquens ac digerens assumpta, spartamque adeò suam sustinens decenter, sanitatis unica quasi scaturigo deprehenditur, ita ut cuncta ferme in corporis œconomiâ tunc se habeant ex voto: sic ex adverso à depravatâ vel impeditâ ventriculi actione morbi prope modû natales suos habent omnes, siquidem error coctionis primæ non corrigitur in secundâ, sed vitiosus exinde excrementitiusque sanguis necessario generatur; multoque minùs in tertiâ, cujus vitio postmodum omnes atque singulæ corporis partes nutriuntur malè, hincq; passim variæ suboriuntur in humano corpore velut seditiones. Quomodo autem, ac num fermenti vi, in ventriculo digestio procedat, quâque ratione aut corporis vigor, aut plurimi inde morbi suam desumant originem centraliter, cum accuratè nosse quàm maximè Medico expediat, disquirendum in id Dissertatione hac Inaugurali mihi proposui; quod ut cedat feliciter, à Deo immortali pio mentis ardore precor, ut gratiæ suæ menti meæ inspiret spiritum, qui animum formet erudiatque, quò ea, quæ vera, proferantur in medium, falsa refutentur.

CHyli naturam nunc paulò penitiùs investigare cùm instituti mei non sit, ejus tamen elaborationem ac producendi modum quin attendam aliquantò pensius, è re futurum arbitror. Pace ergò Tuâ Lect. Benev. hoc in loco discursum meum non nihil circumagere, & quæ ad elucidationem thematis videbuntur facere imprimis, præmittere liceat.

II. Chylificationem ergò quod attinet, ea sic describitur, quod sit actio ventriculi, quâ alimenta in succum lacteum, qui Chylus dicitur, convertuntur. Illa verò quomodo fiat, dum explicandum sumo, varias Autorum sententias exponere, eorumque consensum æquè ac dissensum deducere, ipsa propè jubet necessitas; ac fiet id quidem sic, meo judicio, commodissimè, si historiam opinionum debito ordine ingrediar, illamque à veteribus inchoans, per Posterios ad Neotericos & nostra usque tempora deducam, veramque tandem sententiam subjungam.

III. Medicorum igitur antiquorum plerique in eâ fuere sententiâ, fieri chylificationem per calorem adjacentium viscerum, ad modum elixationis, sicut caro effusâ aquâ, cujus locum hîc potus impleteret, elixatur.

IV. Sed cum Posteriores eorum viderent, chylificationem esse opus vitæ, animam autem actum primum corporis viventis, cujus effecta causalia facultates, earumque vehiculum ac primum ob-eundarum functionum instrumentum Spiritus: Crediderunt fieri per facultatem quandam chylificam, quam humor melancholicus à liene per vas venosum breve in ventriculum infusus adjuvaret, ac liquorem quidem illum acidum esse dixerunt.

V. Perspicientes hoc Neoterici & inter illos imprimis Helmontius, hancce sententiam aliquo modo correctam illustrarunt, docentes: fieri chylificationem per fermentum & acidum lienare; fermentum autem Helmontio tract. Calor effc. non diger. pag. m. 164. §. 29. est facultas quædam vitalis, quæ verè atque formaliter transmutat alimenta: Qui paulò post Sextupl. digest. §. 2. p. 167. etiam subjungit: Extrà controversiam esse, cibos & potus unâ pariterque dissolvi in cremorem planè diaphanum in cavo stomachi, additque id fieri vi fermenti primi manifestè

festè acidi à liene mutuati. Hoc autem acidum non fermentum ipsum, sed saltem organum ejus esse clarissimè exponit §. 13

VI. Tres, uti apparet, opinionum classes peperit historia, quarum consensum dissensumque perlustrare, interposito judicio meo, omninò mihi incumbit. Primæ igitur Veterum hypothese, fieri scilicet chylicationem per calorem adjacentium viscerum ad modum elixationis, hoc respondeo. Non negandum quidem esse chylicationem comitante calore contingere, quò etiam respexisse videntur Philologi, quod à ζέω seu ferveo deduxerint ζύμν fermentum, quasi fervimentum dicas; illa tamen non fit efficienter per calorem, licet per accidens sit calori connexa. Quid enim quod in Bulimo ingens appetitio citaque digestio est, calor tamen tunc temporis non sentitur auctus: Siquidem & illud verum, uti sanè est, quò causa potentior in naturâ, eò effectum suum proprium potentius quoque perficiat; sequeretur febrientis in Cavso stomachum potentius digerere, quàm sani; cùm tamen in febribus nil ritè fermè digeritur: statim enim cibi cadaverantur ructusque nidorosos efficiunt. Cœterùm ad modum elixationis fieri, prorsus nego; cum distinctissima esse fermentationem & elixationem oculatioribus pateat, nec demonstrari elixatio queat.

VII. Secunda verò & Tertia Neoterico-Helmontiana consentire in eo videntur, quod pro causâ chylicationis efficiente, facultatem animæ, & pro adjuvante acidum quoddam ponunt, licet in eo Helmontius ejusque doctrinæ filii dissentiant, acidum stomachi non esse humorem melancholicum; cùm ille describatur, quod sit fœculentus crassus ac acido-austerus, hunc verò humorem deprehendi spirituosum, spiritibus vel quasi corrosivis prægnantem, acidum non nimis, sed gratissimum; scyllam tamen vitantes charybdim inciderunt. Afferuerunt enim contrà hosce, in liene non esse quidem humorem melancholicum, & quod ex hocce eorum asserto sequitur, acidum stomachi non esse illum humorem melancholicum, in eo tamen cum iisdem amicè conspirant, quod hoc ipsum acidum à liene in ventriculum infundatur. Verumenimverò hanc sententiam hodierna curiosior Anatomie omninò pessumdedit, demonstrans, in vivis animalibus sanguinem per vas breve à ventriculo quidem versus lienem

descendere, atque in ramum splenicum effundi, nihil verò ductu contrario à liene ad ventriculum ferri.

VIII. Si jam quæris, quænam vera ac genuina sit sententia, ac quomodo tandem hæc fiat chylicatio? promptam hic respon- sionem habeas istam: Fieri per modum fermentationis virtute Archei adjuvante liquore quodam acido volatili, seu acido salino ad transmutationes potente, ideoque & specificæ proprietatis; quem liquorem Fermentum ventriculi vocarunt.

IX. Per Modum fermentationis chylicationem fieri du m di- xi, quid fermentatio? disquirendum. Ea verò nihil aliud est, quam motus intestinus particularum minutarum corpus mistum con- stituentium in unoquoque subjecto existentium & resolutarum in se invicem actione, quâ omnes reliquæ mistum componentes particulæ inter se invicem agitantur permisceturque, donec se- quatur aut ultima misti resolutio, aut nova ejusdem alteratio. Quod verò in chylicatione operosa sit fermentatio, evincitur exinde potissimum evidentissimè, quod talis transmutatio, qualis omnino circa cibos in ventriculo accidit, vix aliter fieri possit, quàm per fermentationis modum. Quid? quod & experienciâ e- docti sint illi, qui post assumptos antè paucas horas cibos, curiosâ indagatione dissecta corpora inspexere, quod in ventriculo fa- rinæ propemodum fermentatæ speciem exhibentem massam de- prehenderint. Plurimis insuper idem hoc argumentis præter ipsum Helmontium evicere illi, qui de hac materiâ aliquid com- mentati sunt, quorum tradita huc transcribere, esset tempore & operâ abuti.

X. Virtute Archei perfici addidi; est enim Archeus secundum Joh. Marci Marci Philos. Restit. p. m. 418. & p. 133. & Helmont. tract. Causæ & init. natural. p. m. 28. §. 8. Archeus. p. 33. §. 4. Imag. ferment. p. 92. §. 12. Ignot. Hosp. Morb. §. 41. p. 394. &c. vis ac potestas seu facultas animæ, per systema ideale limitata ad vitaliter agendum. Systema verò ideale est series idearum ab unâ radice, quæ anima mundi est, ordinem & nexum ad se haben- tium, suâque evolutione ad corpus organicum constituendum, atque hujus usum determinantium. Quæ quidem radix in humi- do radicali manet in suo chao involuta; suam verò evolutionem sortitur in vitali flammâ, ex eodem humidô succensâ, quam Hip- pocra-

pocrates ignem & impetum faciens, Aristoteles calorem vitalem Galenus, calidum innatum, alii spiritum appellant; quæ unâ cum vitâ perit.

XI. Ulterius adjuvante liquore quodam acido fieri fermentationem dixi, id quod ab experienciâ demonstrari potest, quippè si acidus hicce liquor, tantum aquâ tepidâ simplici diluatur, pastæque farinacæ admisceatur, eam longè citius dilatat ac fermentare facit, haud aliter, ac si flos cerevisiæ, aut aliquod aliud panis fermentum admistum foret, quam operationem adhuc felicius exequitur, si massa ista loco etiam tepido foveatur.

XII. Acidum autem esse gustus persuadebit efficaciter, si cætera fundamenta tangere nollem. Certum enim est, quod in ventriculis sanorum semper reperiatur succus quidam acidus. Quod etiam tam ructus, quàm legitimo tempore, antequam scilicet alimenta in chylum penitus transmutata fuerint, provocatus vomitus manifestant. Confirmat id autoritas in naturâ rerum cognoscendâ Archiphilosophi Hippocratis, dum Aphor. Sect. 6. 1. inquit: In febribus ac diuturnis Lienteriis ructus si superveniat acidus, qui antea non extiterat, bonum. q. d. Rediit stomacho aciditas, quâ cibum in chylum resolvit, ergò necessariò redibit etiam sanitas. Hinc etiam falsaturæ omnes atque ciborum condimenta ad acuendum appetitum conducentia acida sunt, ut Succus Citri, Granati, Cremor Tartari, Spiritus Salis, Vitrioli, Nitri dulcificati. &c.

XIII. Cæterum volatilem, seu ex sale quodam volatili constantem liquorem cum modernis etiam statuo; id quod experimentalis probabit Philosophia. Certum enim est, quod omne id, quod fermentabile quoddam, ut sic dicam, subjectum ad fermentandum disponere debet, semper sit de natura salis volatilis, & nunc de naturâ alkali, ut dum lupulus musto additur, dum aromata & sinapi aceto permiscantur, quibus eorum promovetur fermentatio, dum ipsa florentis vini effluvia odorata vina de novo fermentant; nunc de naturâ acidi, ut fermentum pistorum; nunc de utroque, quod quidem efficacissimè fermentationem promovet.

XIV. Hic autem fortassis objiciet aliquis, insultus epilepticos originem sumere ab acido, quod nervos quasi constringit, liberumque Spirituum influxum impedit, & sic convulsiones efficit;

cit; ventriculum autem á sexto pari accipere ramulos nonnullos, quippe uterque paris hujus vagi alias dicti truncus infra ramulos pneumonicos juxta oesophagi latera descendens scinditur in duos ramos; exteriorem, qui ad ventriculum dimissus stomachum interiorem, partemque ejusdem superiorem multis propaginibus perreptat; & interiorem, qui juxta oesophagum ad exteriorem stomachi partem descendens, ventriculi fundum circumdat, plurimasque fibras in illud mittit: Sin itaque succus ille fermentescens esset acidus, ob aciditatem, quâ attingeret tam nervosum corpus, sequerentur continuæ convulsiones. Sed respondeo cum Helmontio, quod vitalis sit aciditas, non crudelis, hostilis ac peregrina, seu acido austera, quæ constringit ac convellit, sed talis, quæ amica naturæ.

XV. Nec est etiam, quod nonnulli ad substantiam salino acrem volatilem accedere huncce fermentalem liquorem statuunt, ideò potissimum, quia si esset acidum, in senibus acida assumpta cum illo haud facile pugnam inirent, cum tamen contrarium, & quod senes quocunque propè acido offendantur, in aprico sit. At nesciunt fortè illi, quod senum fermentalis humor, ad cruditatem acidam accedat magis, adeoque non ob præsentiam acrimoniæ cum acido illo pugnantis, sed propter abundantiam ipsius acidum plura ingesta acida ipsorum natura aversetur, ac proinde acre esse fermentum concludi non poterit. Quò accedit etiam, quod talis salia acrimonia, latici juncta, inque ventriculo contenta, atque imprimis orificio sinistro hærens, tussim excitaret; quoniam mediante diaphragmate per consensum musculos respirationi dicatos vellicaret; ut taceam innumeros affectus ex acrimoniâ salia oriundos. Remanet igitur, acidum huncce liquorem esse, sed amicum, non salum, corrodentem & acrem. Illud tamen negandum non est, in singulis hominum individuis pro circumstantiarum varietate, insignem esse varietatem fermenti. Sic etiam ratione ætatis, sexûs, alimentorum, statûs sani & ægri, maxima fermenti, in volatilitate, in spirituositate, in aliis etiam qualitatibus, est diversitas, unde nunc acidum, nunc salum, nunc acre, nunc amarum, nunc insipidum, nunc peculiaris saporis erit. Id quod mirum nemini videri potest, qui innarrabilem prope salium diversitatem, ex aliâ atque aliâ tum inter se

ter se, tùm cum aliis commiffionem oriundam, indeque resultant-
tes incredibiles ferè proprietates, variasque operationes confi-
derat.

XVI. Non immeritò etiam ad transmutationes potentem
liquorem fermentativum ftomachi ftatui, quippe qui potentiam
hancce ab Archeo habet, qui omnium transmutationum eft
promotor & caufa primitiva. Quo etiam respexiffe videntur
Ebræi, dum fermentum vocarunt **כַּמֶּשׁ** quod cum Germanicâ
voce **Saur** propè convenit refervatumque denotat, ex mafsâ
acidâ, nam **כַּמֶּשׁ** eft remanere, quod Arabes **كَمَد** aut ut Philo-
logi volunt **كَمَد** efferunt, idemq; ac Belgicum **Suur** pro **Saur**
fonat, ac vertere feu transmutare denotat.

XVII. Infuper fpecificæ proprietatis acidum ftomachi efle
tradidi. Nulli enim acido exactè comparari poteft hoc noftrum
quippe cui vix in naturâ rerum fimile datur. Non enim tale eft,
quale eft fpiritus Nitri, Salis, Vitrioli &c. cum Spiritu Vini jun-
ctus, uti Medicina, Phyfica nimirum fensualis, demonftrat, ac
Helmontius probat paffim. Ita enim in Sextupl. digeft. pag. m.
168. §. 12. ait: Fermenta nil habent præter aut extrâ fe in natu-
râ, quod fibi condignè queat affimilari, cùm fint dona fpecifica:
Et paulò poft §. 13. Habere fermentum ftomachi acidatem fibi
comitem fingularem, &c. alio etiam loco. tract. à fed Anim. ad
morb. §. 4 pag. m. 234. Stomachi acidatem anonymam efle
dicit.

XIIX. Antequam ad alia procedo, deducendum quoque eft,
unde hæc ventriculi aciditas absque coagulatione ac immutatio-
ne fui tantam ciborum ingeftorum copiam comminuat ac resol-
vat? cum gnaris Chymix in occulto haud fit, acida chymica
v. g. Spiritum Nitri Lunæ, Acetum minio, Spiritum Salis Au-
ro affufum, dum corpora diffolvunt, talia volatilia acida, ut an-
tè erant poft folutionem non permanere, fed diffolvendo coagu-
lari, ac formam Salis fixioris affumere. Disparitatis tamen ra-
tionem Helmontius nofter Sextupl. digeft. pag. m. 168 §. 9. hanc
reddit, in folveribus talibus actionem diffolventis & diffoluti,
in fermento verò transmutationem efle, quæ ad novam utrobique
B formam

formam tendit continuò, hoc est, eâdem operâ, quâ penetret, etiam volatilisfare.

XIX. Quâ item ratione tam pauca illa aciditas, siquidem vix sæpius $\frac{3}{4}$ liquoris hujus in ventriculis dissectorum reperitur, magnum adeò ciborum ingestorum pondus ac copiam tam citò fermentet, si quæris? Id fieri per Archeum puto, quippe qui ideam fermentativam, acido hocce tanquam chao suo, involutâ, tunc evolvit: Quoniam enim utraque idéa tam acidi nostri stomachi, quàm ciborum, ex unâ radice fuit propagata, manet inter hanc & illam cognatio & analogia; atque sic hæc nostra cibi, tanquam subjecti materialis, ideas congeneres de novo excitat, ut Salia corporum abscondita educantur, h. e. volatili hac aciditate ideigerâ, ciborum Salia alkalia moventur, ut per ideas suas operatrices agant in Salia acida, sicque totius compages imò ipsa penetralia recludantur, & quæ erant in occulto, in lucem protrahantur.

XX. Clarè satis demonstratum esse puto, quomodo fiat fermentatio, sed ut explanem, unde & quâ ratione insit ventriculo & elaboretur hæcce aciditas, & cur in chylum tantum & non alium liquorem transmutentur cibi, amplius à me postulabis? Ad hoc quidem ut respondeam, talem liquorem acidum ingenitum esse, sunt qui affirmant, quam sententiam eorû industriæ atq; experientiæ relinquo; si quis tamen contrariam tuetur, remanet, ut per ideam elaborari statuât, quam rem ut prolixius hic iterum exponam, fortè necessarium non fuerit, sed ad proximè antecedentia, & quæ de Archeo suprâ dicta sunt, me referre licebit. Positis enim iis tanquam fundamentis, & cum certum insuper sit, quod pars quælibet corporis singularem nanciscatur usum, peculiaresque peragat actiones, colligere inde quoque licebit, quamlibet partem peculiari etiam instructam esse ideâ operatrice, quæ in prima creatione impressa sit, juxtaque cujus limites sese movere & agere teneatur, & hinc idea vesiculæ felleæ bilingue, glandularum lymphæ, testiculorum semen separet & elaboret: Ac pari modo etiam in ventriculo sese res habebit, cujus actio est chylum elaborare, ad ejus autem elaborationem cum organi cujusdam stomachi segeat quàm maximè, idea ejus sibi ipsi cudit instrumentum tale, cujus beneficio actionem suam exerat,

ac sine quo dirigendi coquendique assumpta officium præstare nequaquam posset, efformat; quod ipsum acidum hoc seu fermentum, ita dictum, ventriculi est. Atque hinc etiam fit, si naturaliter sese idea illa non habeat, vel si ob aliam causam perturbetur, ut succus hicce fermentativus non rectè elaboretur, vitiumque coctionis primæ sit in promptu, atque cruditates, tanquam radix & fundamentum omnium excrementorum præternaturalium, facilimo negotio progredientur ac cumulentur.

XXI. Restat hoc loco, ut de fermentalis hujus liquoris materiâ, ex quâ elaboratur, dicam, quam ita se habere puto: quod per internam stomachi tunicam glandulosam, spiritus subtilis acidus per arterias eò delatus, per multa minutissima foramina excludatur, huic spiritui se jungat spiritus ex nervis grandioribus eò apportatus, & ista duo primaria ingredientia se uniant, additione salivalis humoris, acidique è cibus relictæ, atque sic spiritum ventriculi renouent, materiamque elaborationi succi talis acidæ præbeant.

XXII. De notabiliore fermentalis liquoris rectè se habentis usu, chylicatione scilicet, hæc præmississe proderit, cum magis elucescant juxta se posita contraria. Quid jam ex lapsu merentis aliàs optimè fermenti, siue illud in excessu aut defectu, siue etiam depravatione, quam cruditatem vocant, contingat, periculi incommoditatisque queat exsurgere, dispiciendum. Quid igitur & quodnam fermenti peccatum in excessu sit, haud injuriâ quæritur? Dicâ confestim ego, hoc ipsum nil esse aliud, quàm cum citius, quàm decebat absoluitur fermentatio, ita ut si per consuetum tempus in ventriculo alimenta manerent, immutarentur nimium, ac deinceps convenientem corpori non præberent nutrimenti materiam. Et videmus aliàs quoque, quod omnis massa fermentabilis solito nimium seu diutius fermentata, aciditatem acquirat majorem acrioremque ac minus commodam. In mediocritate itaque cum consistat omne bonum, in extremis malum, nimia non sit aciditas, ne hostilis evadat, sed vitalis permaneat.

XXIII. Quanquam etiam si non nimis diu perduret aucta fermentatio, obesse parum possit, quoniam alimenta in ventriculo sufficienter fermentata, moram ibi haud longam ferè faciant,

sed mox propelluntur ad intestina, ibidemque in chylum utilem alvinasque fæces secernuntur. Ubi tamen hæcce fermentatio perennat justò diutius, alimentorum nimium appetitur, & hinc, quando ingesta quævis ventriculus digerit, sensim Plethora indeque habitus athleticus oritur. Huic nisi in tempore obviam eatur, in tantum periculum homines conjiciat, Hippocrate teste Sect. 1. aph. 3. experientiâque suffragante, ut aut tumida extremè vasa rumpantur, funestaque hinc acceleretur, præsertim si ruptura in parte aliqua accidat principe, calamitas; aut spiritus vitales manifestè sic impeditâ sanguinis circulatione inhibeantur, ac homo vel obortâ inde Apoplexiâ, vel Syncope, Cardiacâ, vel alio aliquo morbo subitaneo citò quasi juguletur; aut si non extinguatur subitò, fieri tamen soleat, ut si omnes cavitates meatusque corporis maximè repleti sint, & libera sanguinis circumvolutio non existat, præpedito vitalium spirituum influxu, facultates marcescere incipiant, cruditatesque putredines ac suffocationes, imò & mors ipsa, paulò post succedant.

XXIV. Cœterum vulgò oriri creditur fermentatio nimia, vel fermenti solito acidioris & validioris culpâ, vel alimentorum constitutione naturali facilius fermentabilium diutinè usurpatorum vitio, qualia sunt omnia, quæ coctû facilia esse dicuntur, tam ex vegetabilibus, quàm animalibus desumta; vel humorum aciditate volatili præditorum, & ad ventriculum, vel à capite delabentium; vel ex glandulis excretorum causâ. Fermentalem scilicet liquorem & salivam, ut & succum illum glandularum acidum, humoresque à capite decidentes, aciditatem suam auctam debere alimentis volatili aciditate præditis, copiosius diutiusque assumtis, ut & condimentis ejusdem qualitatis, vino aliive potui generoso spirituosoque subacido tamen imprimis, cujus generis est Jénense, Mosellanum ac Rhenanum vinum, si præsertim per aliquod tempus usurpetur. Nec medicamentis acidis si adhibeantur, alius hic adscribitur effectus, quippe quæ potentius omnibus ante dictis, aciditatem augere dicuntur, qualia sunt: Cremor Tartari, Spiritus Vitrioli, Salis, Nitri, Aceta medicata & quæ his sunt similia: Aër etiam diu serenus & subtilis, non verò multum æstuosus aut frigidus, ad Borealis tamen naturam quodammodo vergens, fermenti solito acidioris culpa habetur. At si sub-

tiliori

tīlīori indagatiōe rem pensitamus, deprehendimus sanē, non ipsos hosce tam facilē fermentabiles cibos, humoresve acidos ac medicamenta, sed illorum potius ideas tanquam causas efficiētes se habere. Illæ enim dum fermento adveniunt, & ad exercendas actiōes tales admodum sunt agiles, interque has & illa analogia quædam intercedit, excitare ambæ sese magis valent, adeo ut fortior inde fiat actiō seu fermentatio.

XXV. Remedia quoque, quæ mederi directē debent hujusmodi ab ideis ortæ fermentationi similiter agunt per ideas, vel Archei ideas fermentatrices, delendo, alterando, absorbendo, præcipitando & purgando; vel etiam contrariam repræsentando, per alimenta crassiora. Auctæ igitur propter acidum nimium & volatile alimentorum fermentationis cura sic procedet, si id, quod appositē monent Practici, & nos observemus, ut scilicet nimiam aciditatem primum corrigamus per alterantia & absorbentia, eaque vel fixa vel volatilia, ut sunt: Rasura C. C. terra sigillat: limat. Martis. Bolus armen: Creta, Ocul. 69. Lapis hæmat. Ossa sepia, C. C. ustum. Quibus etiam annumerari potest præcipitans meum, constans ex terrâ quadam seu capite mortuo quodam hermaphroditico, cujus singulares aciditatem absorbendi dotes, vix satis deprædicari possunt; usurpantur etiam cum fructu Alkalia fixa e. g. Sal Tartari aut alkalia alia, & ea omnia, quæ masculam acidum præcipitandi possident virtutem. Obtundunt quoque succum huncce acidum pingua & oleosa omnia, sed hæc, uti & Spiritus Vini tam simplex, quam aromaticus, quem commendant nonnulli maximè, cum cautione usurpari debent, ne majora illa succedant mala, de quibus mox videbimus.

XXVI. Sin verò præcipitantibus hisce adhibitis fames nondum cesset, deveniendum est ad Vomitoria, præprimis Antimonialia, cum quibus tamen cautè procedendum esse suadeo, ne scil. ea, quæ nimis sunt violenta, eligantur, neque in magnâ dosi usurpentur. Tutissimum verò omnium horum excellentissimumque remedium erit, B. Præceptoris Hauptmanni mei, (Viri cujus capacitas ingenii, judicii vis, variæ reconditæque doctrinæ & experientiæ, quâ Medicæ, quâ Chymicæ, copia inter se paria faciebant olim atque ex æquo eminebant,) Mercurius vitæ sine Mercurio, cujus virtutem per experientiam propriam

mihi notissimam satis deprædicare vix possum. Hic enim à gr. i. ad 3. 4ve datus, felicissimè securissimèque istud expediet, quod ex aliis pulveribus emeticis antiquioribus aut recentioribus sperari haud poterit.

XXVII. Propter alimenta etiam ut monui facilius fermentabilia, continuè usurpata, nimis aucta fermentatio, corrigitur non parum exhibendo alimenta magis crassa, viscida, & quæ sunt fermentationis difficilioris, panem puta, non ex optimâ farinâ pararum, nec prius benè fermentatum, carnes bubulas sale conditas aut fumo induratas, eaque omnia, quæ difficilis sunt coctionis, modus tamen & in his non excedatur, nec nimium ventriculus iis oneretur, ne cruditas exinde fiat. Abstinendum interim quoque à potu cibusque omnibus acidioribus, acidisve conditis, ac vitandus aër valde serenus ac Borealis.

XXVIII. Orta verò ob perseverantem aliquandiu alimenterum fermentationem auctam, Plethora aut habitus athleticus hoc est sanguinis optimi copia, & abundantia, curatur tutò non minus ac citò evacuando. Et quanquam omnes in genere evacuandi modi hîc innuantur, quibus superflua imminuere docet medicina; potissimum tamen Venæsectionem commendatam volo, utpote cujus præsidio scopus ventilandi sanguinem extempore impetratur, & vasa pro lubitu semel aut sæpius depleri possunt. Nec negligi ista aut paulò diutius differri debet, cum non raro in præsens suffocationis periculum conjiciantur ægri, à quo ante non liberantur, quam educto per venam sectam sanguine respiratio redditur liberior, sicque mors instans avertitur.

XXIX. Cœterùm si Apoplexia supervenerit, præmissis hisce in apoplecticis plethoricis corporibus evacuationibus, ad volatilia deveniendum esse & (vadet ratio & experientiæ non contrariatur. qualia sunt Spiritus Sal. armoniaci, Oleum succini destill. & Sal ejus volatile, conducit etiam Sal meum volatile aromaticum oleosum, de quo paulò infra, deinde unâ cum iisdem sudorifera sunt usurpanda. Nam quod Salia volatilia & sudorifera ac dum infringendi, ac per poros corporis unâ cum lymphâ educendi habeant egregias virtutes, omnes assensum dabunt facilè, insuper etiam omnes ac singulas hujus pessimi characteris reliquias, quæ in vasis aut corporis habitu adhuc delitescunt, ne Paralysis exinde

exinde fiat, radicitus extirpandi removendique vi pollent. Cum primis autem vulgo Antimonium diaphor. Sudorif. Max. Fab. Bezoart. minerale tam simplex quam compositum. Solare, Lunare, aut Martiale, Pulvis antihecticus & specificum stomachicum Porterii, præ reliquis verò Cinnab. antimonii in hoc casu à multis laudantur; Majoris tamen adhuc virtutis remedium contra hos pariter atque alios maximos & conclamatos affectus, hic nominandi sese præbet ansa, esse illud Hippocraticum medicamentum, Tetragonum dictum volunt, à jam laudato Hauptmanno redinventum: Basin hujus medicinæ constituit Antimonium, quod ipsum multum & insignibus ornatum viribus ad omnes ferme morbos expugnandos validissimum deprædicant autores, Bas. Valentinus in Curru Triumphali, aliique & imprimis Chartier in tract. suo de antimonio; scient. plumb. sacri sapient. inscripto, volum. 6. Theatr. Chym. annexo. Tetragonum verò istud pro affectuum varietate sudoriferum, vomitorium, laxativum & alexiterium est medicamentum, ac panacææ excellentiam atque dignitatem attingit ubique. Ipse etiam Chartier & Hauptmannus satis comprobata experientiæ viri asseverant, & ego qualicumque id edoctus usu attestari possum, omnis ferme generis istud curare morbos, atque tot corporis nostri hostes tam edomare, quam cum depuratione organorum eximiâ, impuritates omnes educere posse. Adeo contra omnes malignitatis gradus, corruptionis atque putredinis, licet summæ etiam, vitia, nec non dolorum quorumlibet tormenta, omnia ulcera insanabilia, item pro radicali sanguinis mundificatione hætenus illud probatissimum, præsentissimumque deprehendimus medicamentum. Et quia adeo non unum aliquem, sed omnes propè æqualiter respicit morbos, dum scil. tam causas occasionales tollit, ac circa producta morbi versatur, quam ipsum Archeum respicit, ea circa nobilitatem hujus remedii possunt adverti, quæ citatus autor Chartier dicto loco notavit, quod singulare sit Elixir ad prolongandam vitam, unde existimatum fuerit, antimonium appellatum fuisse. Ἐξ τῆς ἀντιμηνεῖς πρὸς τὸν βίον, quia ad vitæ substantiam facit.

XXX Hæc de fermentatione nimia dicta sufficiant in præsens; de ejusdem verò defectu, quem duplici fieri modo in conspectu est, per sic dictam abolitionem scilicet ac imminutionem, Abolitio-

Abolitionem ergò fermentationis accidisse dicimus tunc, cum alimenta in ventriculo satis diu, i. e. tres vel quatuor pluresque in quibusdam subjectis horas hærentia, nullam plane alterationem in consistentiâ, colore odoreque experiuntur, sed cruda ac immutata, aut per viam ordinariam, intestina videlicet, id quod evidenter fit in Lienteriâ, ubi alimenta planè non mutata per alvum eji- ciuntur, aut per minus consuetam, ut oesophagum excernuntur, ità ut reliquæ partes omni alimento defraudentur, totumque corpus brevi tempore contabescat & ad interitum vergat. Im- minutio autem tunc contigisse deprehenditur, vel quando plus temporis quàm secundum naturam par erat, in coctione perfici- endâ infumitur, vel quando assumpta minus quàm debebant, mu- tantur ac fermentantur, quin semicruda potius prodeunt, ac pa- rum adeò n utrimenti præbent, ex quo etiam symptomate ven- triculus imbecillis dici poterit, quippe qui difficulter, & vix longo demum tempore opus suum facere potens est.

XXXI. Utriusque peccaminosæ qualitatis hujus causas scrutari jam operæ pretium erit. Aboletur itaque fermentatio vel exinde, quando aut non in sufficienti quantitate regeneratur fermentativum acidum, in salivæ à glandulis subministrandæ de- fectu, ob continuam hujus exspuitionem, aut quando materia ex qua generari debet, aliò defertur. v. g. dum in bibulis per con- tinuas & indefessas potationes, è ventriculo & hujus rugis ablu- tur, & ad intestina propellitur, id quod in diuturnis quoque alvi fluxibus nonnunquam accidere solet, ubi alimenta in pituitosam mucilaginosamque substantiam convertuntur, atque adeò quod ventriculo insitum acidum, aut in totum, aut quoad partem tol- litur.

XXXII. Imminutum verò existit acidum, ejusque infringi- tur vis, adeò ut ejus consistentia naturalis mutetur, atque vel vi- scidius, vel pingvius, vel aquosius sit, propter consimilia alimen- ta, aut medicamenta diu usurpata, consimilemve salivam. Ne- minus idem ab aliis in corpore genitis ac coacervatis humori- bus vitiosis enervatur, utpote qui vel ratione salis fixi spiritum concentrant, vel ratione Salis volatilis, aut ratione oleaginosita- tis aciditatem ejus obtundunt. Pituita quoque si in corpore au- visciditate aut copiâ peccet, blandam illius aciditatem tantum

non extinguit ac energiam ejus hebetat. Et quò plures etiam talis imminutionis causæ simul adfuerint, eò gravius læditur alimentorum fermentatio.

XXXIII. Cœterum quamvis acidum ipsum sese rectè habeat, insuper tamen requiritur, ut objectum, in quod illud agere debet, ad recipiendam actionem ritè sit dispositum, cum inter agens & patiens justa semper intercedere debeat proportio. Si enim minus dura & crassa, frigida & humida, item cruda & non ritè condita ac præparata ingerantur, acidum ista ventriculi valde enervant, fortiter nimis reagendo, ita ut nec ea, quæ accepit, perfectè resolvere, multò minus alios ac de novo deglutitos cibos incidere ac coquere possit. Pinguia quoque difficillimè digeruntur, quia justam ad fermentationem humiditatem nec continent nec amittunt. Ea cuncta prætereà noxia sunt, quæ quoquo modo acidum hocce infringunt, vel ob sal quod habent fixum, vel volatile, quibus Tabaci fumus annumeratur meritò, item Spiritus Vini. Illorum namq; effectum experiuntur illi, qui indies largâ satis eorum quantitate ingurgitant, ut nempè omni solido alimento destituti contabescant, cum aquâ intercute, & sic aliâ parte intumescant fœdè, aliâ miserè emacientur. Nec minus hac in parte difficiliorem reddit ventriculi actionem, si ille cibi potiusq; nimiam obruatur quantitate, ita ut hæc fermenti potentiæ non respondeat, ubi certè chylosis si non aboletur, ad minimum imminuitur. De quibus singulis idem propè, quod supra monuimus, speciatim dici poterit, quod vel ideam fermentatricem deleant, vel contrariam ideam repræsentent, vel nimium idearum velut concursum efficiant, ita ut singulæ tam citò evolvi non possint. Egregia autem culinaria ac diætæ præcepta, & saluberrimas de quantitate ciborum assumendorum leges cum præscribat Helmontius tract. Viçt. Rat. Item, de Font. Spadan. Paradox. sext. ad eundem Lectorem remitto.

XXXIV. Postquam abolitionem imminutionemque acidi stomachi examinavi, ad desideratæ curationis modos jam pene- tro. Antè omnia igitur advertendum est, an ab humoribus aliunde in ventriculum influentibus fiat fermentationis imminutio an verò à ciborum assumptorum commisso errore ortum ducat, siquidem illi & evacuari, h. e. idæ alienæ subtrahi, & alterari que-
C
ant,

ant, hic verò vitando talium ciborum ulum averti faciliè possint. Humores ergò ubi causa mali sunt, necessum omninò est, ut aut vomitoria, si in ventriculo, aut purgantia, si in toto corpore materia hæreat, usurpentur. Et rursum si totum afficiat, ex purgantibus eligenda præprimis illa sunt, quæ ventriculo vel specificè non adversantur, vel eundem confortandi vi pollent, qualia sunt: Mechoacanna, Jalapium, Rhabarbarum &c. quæ præter purgativam facultatem, non solum adstrictoriam & ventriculum confortantem virtutem habent, sed & ad Spirituum quoque acidi stomachi robur augmentum generationem non parùm conferunt. Ex eadem ratione Aloë tanti æstimatur ac medicamentum à Galenò ventriculo gratum dicitur. Hinc pro cruditatibus stomachicis corrigendis, assumuntur pilulæ Angelicæ, Mastichinæ, quippe quæ præter evacuandi vim ab Aloë, confortandi simul facultatem à Mastiche obtinent. Prædictis tamen purgantibus præferebat suprà laudatus B. Dn. Hauptmannus pilulas suas Antimoniales, item Martiales, utpote quæ præter insignem confortandi vim humores etiam quosvis, tam viscidos quam pingues resolvendi, perq; inferiora educendi, maximam efficaciam produnt.

XXXV. Sin verò humores in ventriculo hæreant, sive eò transmissi, sive ibi per corruptionem generati sint, convenientius erit, per vomitoria eos evacuare, quamvis etiam si magis viscidi sint, & in inferiori ventriculi parte hæreant, purgatio non planè rejici mereatur. Licet verò aliàs vel ex vegetabilibus, vel ex mineralibus hîc petantur medicamenta, illis tamen mineralia, imprimis Antimonialia præfero, utpote cum è mineralibus ritè præparata non tam magnam excitent nauseam anxietatemque. Ex Antimonialibus autè in specie commodiora & usu magis comprobata videntur, Tartarus emet. Mynsichti, Essent. emet. Zwelfer. Sal Tart. emeticum, Mercurius vitæ vulgaris, in quorum locum Mercurium vitæ Hauptm. substituo, qui tuto citò & jucundè operatur.

XXXVI. Quod si humoribus hisce pecantibus adeò vitiosa quædam adjuncta qualitas sit, ut propter visciditatem promoveri non possint, aut propter acrimoniam hypercatharses faciant, alterantibus appropriatis corrigi priùs debent. Nomina igitur medi-

medicamentorum alterantium, quæ vulgò commendantur ac cibos æquè atque humores crassos viscidosque in ventriculo corporeque repertos incidunt, crudosque ad fermentationem deducunt, & sic ideas eorum fermentatrices evolvunt, ac corpori adeò utiles reddunt; sunt acida imprimis & Salina lixiviosa, per spiritum volatilem alterata, & plus minusque volatilisata. e. g. spiritus Urinæ aut Sal: Ammoniaci à Vitriolo comuni cohobati, spiritus Salis Tartari volatilis, spiritus Mastiches, Sal succini, flores Sal. Armoniac. C. C. Sal volat. Ad incidendum tamen commodissimè præscribuntur acida, modò ne crassities ab acido coagulante sit, ubi aut prorsus omittenda illa, præprimis fortiora mineralia, aut cum volatili juncta propinanda sunt. Nominantur autem spiritus Salis, Vitrioli simpl. vel Veneris, vel Martis, spiritus Nitri, Vitrioli Cephalicus, Sulphuris, Clyffus, qui omnes cum spiritibus volatilibus & aromaticis juncti, ac per circulationem cohobati tutiores penetrantioresque fiunt; Elixiris etiam proprietatis cuius menstruum spiritus quidam acidus cum spiritu vini cohobatus est, in ventriculo confortando vires sunt notissimæ.

XXXVII. Antequam jam ad alia hinc procedo, speciales quosdam affectus è nocivis istis quos notavi fontibus oriundos, ac præcipuè eorum curam speciatim percensere allubescit. Dixi supra, quod pingua difficilimè digerantur, quodque ea, quæ vel Sal fixum, vel volatile continent, acidum hocce fermentale infringant, exinde itaque ii, qui largâ talium copiâ utuntur, in Lienteriam ac Cœliacam incidere solent passionem, quam sæpius tabes hydropsque subsequitur. Dum nimirum illa acidum ventriculi suo Sale fixo volatilique aut oleositate seu pinguedine obtundunt, alimenta in ventriculo fermentari atque ab invicem sufficienter segregari nequeunt, hinc chylus crudus & ad nutritionem ineptus, unde tabes oritur, producitur; ex quo deinde sanguis serosus ac pituitosus generatur, unde obstructions vasorum præprimis lymphaticorum sequuntur, quæ dum facilimè rumpuntur, hydrops inducitur.

XXXIX. Ac Lienteriam quidem & Cœliacam passionem quod spectat, de illâ inter omnes constat, quod sit species alvi fluxûs, in quo cibus non mutatus, sed ita prout fuerat assumptus per alvum celeriter excernitur: De hac verò quod in eâ alimenta

cruda & imperfectè digesta per alvum rejiciantur. Duos itaque affectus hosce differre inter se tantum secundum magis & minus patet & Lienteria quidem ad fermentationem abolitam, Coeliaca ad imminutam rectè referetur. Ad hos ergo affectus compescendos deponit ratio, ut acida dulcificata usurpentur moderata, quæ eò magis medicata erunt, si iis immisceantur ea, quæ virtutem suaviter adstringendi habent; vel potui etiam de spiritu Salis aut Vitrioli dulcis, quantum ad gratam aciditatem sufficit, admisceatur. B. Hauptmannus aut Nectar suum adstringens aut Tincturam Vitrioli Balsamicam suam substituebat; ad fermentum tamen ventriculi confortandum, spiritum meum, stomachicum dictum, non absque successu aliquoties exhibui, cujus Spiritus Chemicæ, & medicæ virtutes etiam præparandi; modus ne lateant penitus, hæc de iis breviter. Scilicet è Sale ac Minerâ hermaphroditicâ quadam, spiritum aliquem dulcacidum volatilem elicio, qui ut appetitum languentem reparat, ita ventriculi fermentali liquori potens stabilimentum, cibos ad ingressum præparando, ideasque illorum excitando, singulare robur conciliat. Deinde Tartaream humorum mucilaginem ac saburram fœcalem spiritus ille dissolvit, atque ejusdem impetum virtute penetrandi, quam habet, generosè coercet & evincit. Nec hoc in loco ea quoque omittenda, quæ Archeum perturbatum pacandi singularem habent vim; qualia sunt Opiata ritè correctæ, scilicet Opium fermentatum, Laudan. opiat. Diascord. [Fracastorii aut Sylvii, Essent. Opii, præprimis illa, quæ cum spiritu modò laudato stomachico & spiritu vini præparatur.

XXXIX. In tabe autem ac macie ex inertia acidæ stomachicæ orta ad ejusdem tam correctionem, quam roborationem jamjam descriptum spiritum stomachicum, non sine fructu exhiberi licebit. Insuper circa novi & plenilunium usurpabat pilulas suas antiphthicas, magnæ experientiæ judicii quæ & celebritatis Vir B. Hauptmannus, quæ pilulæ non tantum sordes in penitioribus quantum vis corporis nostri latebris hærentes, ad instar cujusdam saponis abstergunt, omnemque è ventriculo vasisque amurcam sine ullâ molestia educunt; verum etiam fermenti organum, ob Vitriolum suum Philosophicum, quo dotatae sunt, roborant, vitalemque Tincturam, (ita sanguis à Paracello Helmontio quæ vocatur,)

catur,)suaviter irrorando ac humectando confortant,& sic refectio-
tionis non minus, quàm exo, tata mundificationis beneficium
præcellenter præstant.

XL. Porrò si acciderit, ut jamjam intumuerit corpus, sive ab
usu Spiritus Vini, sive aliunde, ut dixi, fermentum læsum sit,
ità ut sequatur hydrops, stomacho præprimis subveniendum est.
Hunc verò adversus morbum, in medicaminum non infimâ classe
commendatur Oleum Vitrioli, præsertim Veneris aut Martis
dulce, Spiritus Salis compositus dulcis: Imprimis tamen huc
iterum facit spiritus stomachicus, cujus utilitatem paulò antè at-
tigi. Quin ad sudorifera hîc quoque deveniendum ac diuretica
est, quæ nisi hydropicus ad ultimam miseriam jam sit delapsus,
semper voto Medici æquè ac ægri quàm optimè respondebunt.
Loco horum unicui supra laudatum Tetragonum adhibendum,
quod uti diaphoreticum pariterque diureticum præbet, ita erit &
hîc remedium, quod omnem hydropem modestè tollit absque
metu recidivæ. Siquidem tollit tam causam occasionalem, quàm
ipsam furentis Archei ametriam.

XLI. Plura dicere adhuc poteram, sed ne nimium excrescat
dissertatio, ad depravationem acidi quasi ex diverticulo redeo.
Eam ergò tunc contingere statuo, quando alimenta ita immu-
tantur in ventriculo, ut conveniens corpori nutrimentum am-
plius non præbeant, cum potius malè digestos cibos è vestigio
subsequatur corruptio. Fermento itaque depravato dupliciter
cibus corrumpi dicitur, aut in nidorosam aut acidam cruditatem.
Illa est debilior partium acidarum cum salinis ac oleosis com-
mixtio: Hæc verò nimia acidarum in respectu ad salinas sive al-
kalinas abundantia. Et harum utraque genitalem plurimorum
morborum in sinu gerit causam.

XLII. Ut causas autem depravati sic acidi fermentativi
dicam, primò luxum ac diversorum ciborum ingestionem rectè
accuso, quæ vel operosam vel difficilem, vel vitiosam planè co-
ctionem reddere solet. Varia enim & diversa ob ideas suas Ar-
cheo nostro alienas non alunt, sed inquinant, ut Seneca ait, cum
impossibile sit, ut omnia illa quæ diversas & qualitates & substan-
tiam habent, simul à Naturâ decenti coctione subigi possint, sed
pleraque manent incocta, corrumpuntur, putrilaginemque ad-

sciscunt & tandem excrementitia evadunt, atque adeo chylum insigniter contaminant & chylicationem vehementer turbant. Ut autem diversitas reluctatur naturæ, ita & multitudo ciborum, quando nempe ad ambas usque aures, ut in proverbio est, quispiam se replet ac ingurgitat, ventriculo impensè nocet. Habet enim suum semper secum ultorem voracitas, videlicet cruditates, & ex iis natam omnigenam morborum ærumnam. Præterea huc etiam refero cibos parum aut planè non masticatos, vel suâ naturâ coctu difficiles & quosvis succi pejoris, quos utique ventriculum decenter comminuere atque in succum redigere alibilem non posse, sed ex iis consimiliter cruditates generari in aperto est.

XLIII. Ulterius ad acidæ cruditatis causas me converto, & inter illas quidem primas tenere frigus, hyberno tempore per nives & glaciem iter facientes potissimum experiuntur. Quâ verò ratione frigus corpus ambiens hoc præstare possit, multi se anxie torquent, istam tamen rem ut ut difficultatibus non careat, paucis expedire tentabo. Cum scilicet per poros corporis frigus penetrat, tum insimul cum acido suo ideam suam coagulatricem quàm manifestè habet, humoribus corporis insinuat, atque sic unâ illorum ideam in actum huncce educit, mutationesque tales efficit. Præterea inter dictæ cruditatis causas, nimium acidorum ciborum potiusve ac medicamentorum usum reponimus, utpote unde necessario propter insignem acidi excessum vitatur etiam ventriculi fermentatio, variaque exinde propullulant symptomata.

XLIV. Forsan autem L. B. illos aciditatis hujus vitiatæ desiderabis effectus, sed cum dissertationis magnitudo excedere haud debeat, tantus verò morborum ut sic dicam exercitus hinc emergat, quantum in præsentì lustrare ac describere impossibile, calculonum sequentes morem, qui summas ingentes æris brevioribus numeris exprimunt, signabo morbos affectusque potius, quàm eloquar, ut non tam legere eorum descriptiones aliquis, quam numerare nomina videatur. Procreat igitur cruditas acida, volatilis, ructus acidus, volatilisata magis acrisque, famem caninam, ad superius orificiū ventriculi halitus forma adscendens, cardialgiā, cum biliosis flatibus viscosis in ventriculo efferves-

cens anxietates circa præcordia, cum caustico quodam alkali mixta, tam ad intestina, quam ad vasa etiam sanguifera dimissa, dejectiones cruentas & hæmoptoen, imò ad exteriora delata, ulcera tam cancrofa, quam fistulosa, cum Sale volatili minus oleoso ac pingui ebulliens ac partes rodens sensiles, dolores algentes lancinantes, vagos, lacerantes & sine ardore rodentes, acida magis, quam acris in intestinis eorum obstructions, sanguini immixta illum coagulans & hinc stagnantem reddens mensium suppressiones, austerior facta, cum bile ac pituita viscidâ effervescentes halitusque formâ per lacteas venas ductumque thoracicum ad cor & pulmones assurgens, suffocationes, austera & glutinosa, ob bilis paucitatem calculosas concretiones; acido austera, constringens nervos ac sic spiritum animalium fluxum impediens, convulsiones; tam acris, quam austera cum pituita viscidâ & bile mediocriter saltem acri concurrens, flatus excitans sicque intestina distendens eorum dolores; quin & ob conjunctam pituitam, viscus aliquod obstruens, febrium intermittentium causa est.

XLV. Jam ut & mali hujus hydrâ Lerneâ peioris subnectam curam, primum exhibeantur ea, quæ acidum temperant & concentrant, ejusque ideas delere possunt. Ubi Martialia palmam meritò obtinent: nam insignis vis Marti inest absorbendi acida. Adhiberi itaq; Tincturæ Martis possunt, sed illæ in quibus Mars nullo acido saturatus est. Corrigunt prætereâ quoque inciduntque acidum medicamenta Tartarisata e.g. Sal Tartari fixum & volatile, Tartarus chalybeatus, vitriolatus, Terra Tartari foliata cum liquore Tartari Polychresto, spiritus Salis Tartari armoniacalis, Spiritus salis Armoniaci. Laudem quoque haud infimam meretur Panacæa Holsat. tam simplex, quam Martialis. Cæterum de acidû absorbentibus aliis suprâ tradita videri possunt, quæ hic repetere supervacaneum duco. Nec sudoriferis suus hic deest locus, de quibus superiores itidem videri possunt, §. §. habent enim & hæc potenter acidum educendi per poros corporis, crassosque ac glutinosos humores incidendi magnam vim. Opiata quoque suâ hic non defraudanda laude, si ritè modò correctâ sint; nam & Archeum pacando, dolorum omnium verum præbent lenimentum & humores acres in diversas mutant qualitates. His laudatis medicamentis addere absque jactantiæ typho non vereor

vereor Sal oleosum aromaticum volatile , operâ meâ paratum , & feliciter oblatum , quippe in quo facultas quædam insignis latet , ut per illud curare cruditatem acidam omninò sit facillimum , quoniam penitiores etiam vasorum partiumque recessus, ab omni immunditie, quæcunque illa sit, per virtutem suam egregiè abstersivam ità repurgat , atque purificat , ut vix quicquam impuritatis relinquatur. Correctum deinde incisumque acidum evacuetur sensim tam per inferiora , quàm superiora ; per superiora tamen imprimis, plus enim valere unum vomitorium , quàm multa purgantia per experientiam certum est. Omnia autem alia vomitoria antecellunt suprâ nominata Antimonialia imprimis dictus Mercurius vitæ sine Mercurio Hauptmanni. Si tamen hic curandi per vomitoria modus cuiquam tædio sit, purgantiaque exoptet magis , pilulas Hauptmanni Tetragonicas, Antimoniales aut Martiales etiam laudandas exhibere eidem licebit. Vulgò usurpantur pilulæ de Ammoniaco. Tartareæ &c. aliæ purgantia melanagoga ac phlegmagoga dicta.

XLVI. De Acidæ cruditatis causis morbisque ac curâ hæc dixisse in præsens sufficiat ; jam igitur ad nidorosam etiam animum adduco meum, ubi primum omnium hâc occasione occurrit quæstio, quomodo ex humore acido humor fieri possit amarus? Hoc à posteriori scire possent ipsæ propemodum aniculæ, quæ ampullas, in quibus aceta sua & fermentando parare & reservare solent, penes fornaces reponunt, cognitissimum enim experientiâque comprobatum satis, quod acetum diuturniori fermentationi per calorem expositum facilimo negotio amarescat. Parili ferme modo res in stomacho se habet: dum scilicet fermentatio illa per evolutionem idearum ad novam generationem procedit, necesse est, ut prius acidum dissolvatur, cum generatio unius sit corruptio alterius. Internæ itaque ideæ ab externis ideis advenientibus determinantur, atque ideæ jam evolutæ proximè alias ideas evolutas, quæ simul esse non possunt, in illo subjecto impugnant abolentque, atque sic ipsum acidum demoliuntur, quippe quod sicut ab ideis esse cæpit, ita quoque illarum vi conservatur ac destruitur; è contra deinceps particulas Salinas cum Oleosis in actum educunt, ut novum exinde fiat ens, quod amarum vocatur. Jam nidorosam cruditatem generavit fermenta-

tio accedente nimio facile fermentabilium dulcium imprimis & aromaticorum ciborum eorumque amarorum, multo sale lixivo volatili & oleoso abundantium, atque hinc magnam cum bile affinitatem habentium usu, qui cibi cum fermentantur, in momento ut sic dicam in nidorem corrumpuntur. Magis id adhuc evenit, si vel minima saltem volatilis bilis ad ventriculum affurgentis adsit pars, utpote cum inde mox excitentur ructus, qui ventriculum distendunt, vel mordent, & nunc ova frixa, nunc pilces foetontes, nunc alia redolent.

XLVII. E cruditate porro nidorosâ quæ vitia procedant, paucis adjiciam, cum sanè permutato sic fermento varios progerminare morbos ab omnibus Medicis deprehendatur. Dixi autem superius in comparatione ad aciditatem, majorem vehementioremque corruptionem nidorositatem esse, ideò quia ab aciditate magis humores coagulantur, à nidorositate verò fluiditas humorum provenit. Deinde etiam cum cruditati nidorosæ seu amaritice biliosam aut saltem similem esse materiam constat, flammam autem caloris beneficio bilis debitæ suscitari posse per mechanicam demonstrabile sit. Nimia biliosorum humorum copia ac excessus incendium, ut sic dicam, ac calorem præternaturalem, hoc est Archei furorem concitabit. Quod si verò copia hujus nidorositatis volatilitate abundet, istud efficiet, ut si illa insimul cum chylo sanguini & humoribus aliis comisceatur, icterus niger flavusque; si acris febres malignæ, vel si sursum ad membra tantum corporis superiora ac nobiliora & ipsam adeò Palladis artem seu caput feratur, ob acrimoniam mordacitatem immoderatamque penetrabilitatem, cephalalgia, deliria, mania, phreneses, ophthalmia aliique oculorum defectus ubertim hinc proveniant. Vel etiam si per descensum ad inferiores partes nidorositas abundantia suæ extendat vires, propter acrimoniam continua exstimulatio alviq; fluxus, ac inde Diarrhœæ aliq; morbi suboruntur, ita ut de ruente in vitium fermento verè dici possit:

Culpam culpa trahit, prior sequentem,
Et simul paritur, paritque noxa,
Et noxas parit una noxa mille,
Ut flammæ parit una flamma centum,
Nempè fertile semen est malorum.

XLVIII. Sed ad medicinam tot ex midorositate subortorum morborum nunc deveniendum erit, ubi primum circa diætā fugienda adhortor, calidum victum calidioremque potum, aromata & vina impensè generosa, item omnis generis dulcia, animi ægritudines, iras ac rixas vehementiores etiam labores, inedias, vigilias, regiones in quibus aër nimium exæstuat: Hæc omnia enim nidorositati maxima largiuntur incrementa, ardorisque illius excessum & Archei furorem quāmadāgent maximè. Econtra verò commendo, quæ singulis hisce sunt contraria, victum potumque tenuem frigidum suaviterque humectantem, pultes leguminaque ac cerevisiam subfrigidam; item quietem somnumque largiorem, utpote quibus nidorositatis acrimoniam minui & Archeum pacari per experientiam constat.

XLIX. Medicamenta dein non possum non laudare corrigentia atque evacuantia, cuncta præterea illa huc revocanda, quæ superius de Archeum pacandi virtutem habentibus dixi; & ex corrigentibus quidem plurimum valent spiritus Salis, Sulphuris Vitrioli probè rectif. Nitri, omnes dulcificati, Tincturæ flor. bellid. Papav. Rhead. viol. cum spiritu Vitrioli factæ &c. nec successu defraudabit aliquem spiritus stomachicus suprā laudatus, qui uti non tantum pituitæ visciditatem efficaciter dissolvit ita etiam acrimoniam pariter nidorosam quā optimè corrigit. Peculiariter quoque suprā nominata absorbentia & sudorifera prosunt, utpote quæ Sal volat. figunt. Evacuante subministrabunt dicta purgantia cholagoga, phlegmagoga, & hæc quidem viscidæ pituitæ incisionis ergò, dosi aliquantò majore, quoniam retardatur impediturque à pituitâ, quorumvis purgantium operatio, usurpanda, & hic imprimis conducentia erunt: Mechoacanna, Jalapium. Ex illis scilicet cholagogis, & quidem mitioribus, Manna, Cassia Tamarindi, Rhabarbarum, Aloë, Myrobalani, pilulæ de Fumaria, Senna, è fortioribus verò scammonium &c. Et fortassis majori jucunditate alvum subducunt pilulæ Tetragonicæ, Antimoniales, Martiales, & quæ sunt hisce similes. Vomitoria hic sua serim adhibere, cum circa hæc & cholagoga notandum, quod si usurpentur, ut dosi parvâ id fiat, ne bilis per se fluxilis ac quodammodo turgens furorem quasi concipiat, & aut Choleram aut Diarrhæam producat gravem, tutius itaque erit purgationem repetere, quoniam sic nulla ægris creabitur molestia aut noxa, & commendabilem quoque sic sese reddet Medicus.

L. Sufficiat jam ad portum hic angulus, in quem me ea
 conditione recipio, ut plura interim circà nobilissimum
 hoc thema mediter, alio tempore argumentis luculentis-
 similis bono cum Deo demonstranda. Interim Optimum
 Maximum Numen devotâ mente veneror ac rogo,
 ut ceptus Medicos aliorum æquè ac meos perpetuò foveat
 ac prosperet, suâque gratiâ fragile ac caducum hominum
 genus, quoad per mortalitatem licet, ubique saluum adver-
 sus morbos ubique in incolumè, ubique compos sanitatis
 præstet, atque adeò Medicam artem bonis successibus au-
 geat; Ut contrà timendas moborum tempestates,
 semper floreat, semper triumphet, Gloria Dei,
 Decus Medicorum.

Sphalmata.

Pag. 11. lin. 1. lege, digerendi. pag. 14. lin. 9. lege, paratum pag. 16. lin. 34. lege,
 spiritum acidum.



